



Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XLIII. Iuuenis, qui studijs operam dabat, animam Virgo in coelum perfert, ut ibi summa cum pace, aeterno aeuo frueretur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](#)

LIBER PRIMVS.

91

rem studiosè incubentes, ut teterima ista lues expelleretur: Sed nunquam id fieri potuit. Ego uero Virgo, inquit, toties à te in hoc templo piè uocata, toties à te diuinis laudib. exornata, ut tibi curarem caput, nunc adueni. Hodie aqua fusilis ligni fructib. permista ter caput abluito, inuocato prius Deo parente, filioq. & diuino spiritu. Tuo. n. arbitratu statim curaberis. Praeterea benignissima ad se puerū proprius iubens accedere, sanctissimaq. manu eius caput attingens, illi pollicita est, futurum, ut nunquam dolore capitinis postea laboraret. Domum ille exsultans rediit, & ab ancilla ea paranda curauit, quae Virgo dixerat; statimq. caput expurgatum est. nec unquam postea, dum uixit, Virginis immortali beneficio labo rauit ullo dolore capitinis.

MIRAC. VIRG. XLVIII.

MIRAC. VIRG. XLVIII.

Iuuenis, qui studijs operam dabat, animam Virgo in coelum perfert, ut ibi summa cum pace, aeterno aevo frueretur.

IN ciuitate Hunnensi mulier, quae in abditissimo, ac semotissimo loco sanctissimam uitā degebat, è speculae rimis quadam nocte non minus splendidam lucem uidit, quam si meridianus sol illuxisset. diei ipsa lucem esse existimabat. Quarè statim surrexit, incredibilem dolorem capiens, quoddam sero in lecto retenta non satis assuetarum prectionū muneri fecisset. Aperta ergo specula uidit, illam non solis, aut diei lucem, sed tantum ab ea quoddam sepulchrum septum esse, in quo paullo ante iuuenis se-

M 2 pultus

MIRAC. VIRG.

92
pultus fuerat, qui incumbebat grauiorib. studiis. At splendor ille proueniebat è diuina muliere, quae candidissimam columbam antè sepulchrum stantem in sinu receperat. licet ibi abdita mulier piaeclare inteligeret, quaenam esset augusta illa matrona, eam tamen obsecrauit, ut se, nomenq. suum patefaceret; quod ipsa benignissimè praestitit. Dixit. n. se Dei matrem esse, & illuc iuisse, ut studiosi illius adolescentis ad coelum animam ferret. Nam inquit, integri, & innocentes, qui studijs acriter insudant, ut illis ad Dei gloriam, & hominum commoda posteà utantur, cum illis ferè comparari possunt, qui pro Christo sanguinem effuderunt. His dictis, unà cum niuea illa columba, Virgo in coelum abiit, animā purissimam illuc perducens, ubi immortales coelo, ac uita fruuntur sempiterna.

MIRAC. VIRG. XLIX.

Terra uirga ter contacta, è solo tria candidissima lilia produunt; è quib. almae Virginis puritatis candor cuidam aperiè ostenditur, qui Satanae astu instinctus de ea re dubitare confuerat.

IN D. Francisci uita res memoratu dignissima legitur, quam superioribus inferere operae premium est. Aegidij. n. uiri beati temporib. quidā, qui sub D. Dominici signis militabat, saepè molestissima, & impia dubitatione labebatur; & impellebatur in fraudem & errorem. frequentissimè secum miser perpendere cogebatur, qui fieri posset, ut coelestum regina